

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Gerhard Gerling

**Prodromus Operis Tripartiti, in gratiam Medicinae, ab Origine Naturae Theologica  
usque ad Praxin Individualem concinnati,**

Rostochi[i]: Richel, [1699]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730473864>

Druck    Freier  Zugang





81. c - 10.

Ma. - 3151. 7-2

1

PRODROMUS  
**OPERIS**  
TRIPARTITI,

in gratiam

**MEDICINÆ,**  
ab Origine NATURÆ

Theologicâ usqve ad PRAXIN

Individualem concin-  
nati,




GERHARDO GERLINGE,

Susat. Westphalo Med. Doctore,  
nunc, Practico Rosto-  
chienſi.



ROSTOCHI,

Typis JACOBI RICHELII, Ampl. Senat.  
Typograph.



*Magnificis, Prenobiliissimis, Consultissi-  
mis atque Prudentissimis,*

DNN. **CONSULIBUS,**  
**SYNDICO,**  
**CAMERARIIS**  
totique  
**SENATORUM**  
Ordini,  
ceu,  
*Amplissimo*

**MAGISTRATUI**  
Rostochiensi;  
qvi  
non tantum Rempublicam  
gubernat, sed & Academiam, ex  
parte, nutrit;

*Hocce Precurriculum*

*dedicat*

A 2      Author.



**P**Ostqvàm, ex-  
actis XXII. &  
qvod excurrit  
annis, Licenti-  
am Docendi Gradumqve  
Medicinæ Lugduni Bata-  
vorum, post Disputatio-  
nem publicè habitam, na-  
ctus fui, dabatur mihi ansa  
stimulusqve, Scientiæ Evi-  
dentiam, contra Opinio-  
nis Hypothesin, ulteriùs  
pro-

proponendi ; prout qvoq;  
tunc temporis , intrà pri-  
mum Neo-Doctoratûs tri-  
ennium , publico Scripto  
divulgavi, deincepsqve pri-  
vatim continuavi, & finito  
nunc Opere , in animum  
sumpsi , ex hâc illustri ad  
Varnum Academiâ , cum  
Universitatibus Vicinis, cir-  
ca Balthicum Septentrio-  
nalibus, certa tûm PHYSI-  
CES generalis tûm MEDI-  
CINÆ Themata commu-  
nicare : eum in finem , ut  
VERITATI absqve lite li-


A 3 temus,

temus, Qvicunqve nos met  
hujusmodi Studiorum ge-  
neri applicavimus. Faveant  
Boni, tueantur Fautores &  
promoveant Cordati; qvi-  
bus talibus, qvàmvis igno-  
tis, me commendo, eosqve  
divinæ protectioni com-  
mittens

*Dabam Rostochii  
Anno M. DC. XCIX.  
die 30. Maii.*

AUTHOR.

Natu-



**N**aturam scrutaturo expedit, pensiculatis Corporibus particularibus, Universi Conditionem exquirere meditatis cogitationibus; hæ, necesse est, limitatae sint certo & indubitato Principio, ibi & inde spectato, ubi Rerum physicarum Primordia recensentur, à plusquam ab Ovo (quod dicitur) Macrocosmi Initia quæsituro nil tam evidentè satisfacere putamus quam Relationem Genesiacam; hunc Textum *de Creatione* sacrum, succinctum & intellectu difficilem, nulli Commentatores propriè magis aut pertinentius explicant quam Ipsæ Libri *Natura* paginæ, qvarum

*contenta* hodièque eadem sunt qvæ fuerunt post completum Geneseos sextiduum; qvoad Cœlum, Solem, Lunam, Stellas, identitate ac specie monadicâ & numericâ: qvoad arbores, frutices, herbas, reptilia, aquatilia, amphibia, Quadrupedes, bipedes, volatiles, gressiles, identitate specificâ.

3. Terram, in relatione ad Cœlum & Solem, qvoad ordinem temporis, primum (juxta revelatam Rerum seriem) dicimus Elementum: Terra sibi socios, veluti coævos, habet tenebras & aquas; *tenebrae*, quatenus tales, sunt eidem propriæ & ad ejus imum (Abyssum) radicatae: Aquæ, quatenus tales, sunt & cœlo communes, Firmamenti namque Convexo impartitæ ibidem, super expanso concamerato leví, gravitantes, usum egregium præstant, pro continuandâ tantæ Sphæræ circumvolutione.

4. Tenebrae, mediante expansione, æthereæ redditæ Cœli constituunt  
ma-

materiam proximam ; Lux in Stellas disposita illius sifit ornatum ; particulae lucis , per ætherem atqve aërem dispersæ , visui suppetias ferunt sifuntque radios ; expansæ *Lucis globuli* in (& inter) se concentrati , adeoqve densitatem aliquam præ se ferentes , simul & unâ calorem efficiunt : particulæ tenebrarum Auditui Medium præbent , earumqve (secundo creationis die) ætherearum redditarum & Mixta ingredientium indole obtainentur instrumenta sonora , per depurati æris , juxta certam figuram ducti aut fusi , continuationem.

5. A Luce sicut *Calorem* , ità Frigus , lege oppositionis , à tenebris deducimus ; sed tamen , uti Calor efficitur , non à luce non - expansâ sed ab eâdem *expansâ* & iterum densatâ in que corpus aliquod mixtum compactâ , qvæ , vicissim inde solubilis , si re-apse dissolvatur : Ità naturale *Frigus* animadvertisit effici , non à Tenebris

A in

in Statu Densi pristino relictis , sed ab iisdem ad expansum æthereum alteratis , æthereusque hisce ad Densum rursum ( datâ & concessâ fibi occasione ) tendentium *particulis* effectum frigoris produci censemus.

6. Frigus & Calor Veteribus cluent Qualitates activæ , qvæ porrò nunc investigatæ in Materiis subsistere compriuntur ; *Caloris* qvippe atqve Motus , propter tendentiam sive intentiōnem talis , *effectores* sunt ipsi LUCIS GLOBULI , qvi , à Contrario densati , atomorum ignearum naturam referunt : Frigoris verò & Quietis effector est ipsa Ætheris substantia , ex pristino tenebrarum genere oriunda , eademqve Hæc , propter Vergentiam ad Macrocosmi Centrum , in modo *termini ad quem* obtainendi , FRIGUS procreat ; in modo *termini ad quem* obtenti , QUIETEM sustinet : exempli gratiâ , ex aquarum superficie mobili & flexili , sifit immobilem , rigidam & fixam glaciem.

7. Ten-

7. *Tendentiam* diversarum materiarum differentem, propter insignes Experimentorum & φαινομένων Efectūs, non duntaxat probabilem redundunt sed & evidenter confirmant, inter plura: VIS EXPANDENDI in pulvere tormentario, auro fulminante & huic analogā Mixturā ex Tartaro, Sulphure atqve Nitro; qvippe qvæ expansibilitas (activè talis) luci competit. E contrà, huic adversa Materia, qvam ad Primum Elementum, ceu domesticam, retulimus, obtinet VIM CONCENTRANDI, comprimendi, densandi; qvæ qvia, in Citatis per Naturam activis, ab Arte Videlicit ador natis aut ad certam proportionem dispositis, hâc suâ simul operatur Activitate, attamen jamdicto Contrario prævalente, hinc est, qvòd tanto frage disrumpatur Mixtum, juxtimqve in aëre præsens Æthereum, τὸ στρεῶ affine, fractionem suæ continuitatis suscipiat, sonumqve adeò multiplicet.

8. Ulte-

8. Ulterius verò, Experimentis  
 Hydropneumaticis eò adducimur , ut  
 credamus : *Hanc illamve tendentiam*  
*fortiorem esse in his vel illis Macrocosmi*  
*Loci ; ita , sub Lineâ siquidem nulli*  
*sint Venti, ejus causa reputetur debilitas*  
*ætherei concentrantis, qvæ & , post*  
*Solsticium æstivum , in Zonæ tempe-*  
*ratae locis existens, Ventos non nisi Ete-*  
*fios concedit : Ast, contraria Vento-*  
*rum-Carentiæ causa adest locis ab*  
*Æqnoctiali maximè dissitis, Poloqe al-*  
*terutro , exempli (notioris) gratiâ, Vi-*  
*cinioribus , qvando , brumali tempore,*  
*debilitato Principio Motum suscitante*  
*atqve perficiente , è contrâ, dominium*  
*obtinente Quietante cuncta rigidante,*  
*uti nullus motus ita nec Ventus obtinet.*  
*Illijs qvidem globi terraqvei tractus*  
*proprietati nostrum tempus æstivum*  
*comparamus ; Hujus, in terraqvei globi*  
*locis utrinque extremis , à medio Solis*  
*ambitu remotissimis , quasi inqvilinæ*  
*aëris Conditioni , tempus nostrum by-*  
*bernum*

bernum ordinario propemodum simile reperimus. Illi Motus defectui applicamus Casus *præ* nimio gaudio mortuorum : huic, *præ* gravi tristitia defunctorum (& polypo Cordis, post mortem sectione facta, notabilium cadaverum) observationes referimus.

9. Hisce ipsis, cœli Pathologiæ quòque Aetiologyam declarantibus atq;, tum per Experimenta tum per analogismos, diagnosis morborum itemq; Materiæ Remediorum applicabilibus, sic dispectis ac porrò percipiendis, posset alicui videri ; non ita esse necessarium : perqvirere differentiam Lucis in Solem transpositæ & in Stellas disparitæ, nec non, mensuram, qvâ cœlum distat, itemq; Luminaris majoris magnitudinem ; Lunæ conseqenter, hujusceq; è duobus Simplicibus, sibimet in Statu Expansi conformatis, compositionem ; generationem Cometarym & istiusmodi. Veruntamen, Solis calore magis minusve intenso,

con-

continuato ; cœli sive aëris serenitate, tranqville & calido squalore comitatâ, aut, turbulentâ cum pluviis & ventis, plus minusve Corpora affientibus; ad theoriam medicam, in primo necessitatis ordine, reqvisitis : etiam, in secundo necessitatis ordine, Principiis solidandis conducit , sive , hisce positis promanat modò Qvæsitorum determinatio. Eqvidem, *Naturam statuentibus esse Principium Motus & Quietis*, incumbit porrò, apprehendere Macrocosmi locorum Proprietates , qvibus alibi Quietis alibi Motus sint constitutæ affectiones ; idqve , animo *ἀπεπτώτῳ* , non dubic , non saltēm opinanti, ex opinione qvæ facit ignorare , sed, ex opinione in gradu aliquo ad scientiam constitutâ, qvæ facit scire : indeqve Conveniens Mundi Systema literæ Verbi conformiter & evidentiæ Intellectūs probabiliter , imò propemodum apodicticè , agnoscendum est. Atqve sic; corticem frangat , oportet , qvi nucleum

um esse vult ; centrum ultrà proportionem puncti amplum esse, in relatione ad circumferentiam , non indefinitam sed analytico - mathematicè mensurabilem, profiteri fas est.

¶ 10. Verùm enim verò , satis de iis, qvæ Physicam generalem attinent, hâc etiam vice dictum esto ; ex hinc ad specialem Hominum naturam digredi præstat Medico qvâ Medico : Princípium *Quiescere* qvomodo conceperimus, qvo Termine, Pathologiæ conveniente atqve sub nomenclaturâ Veterum intelligibili, appellaverimus, legere dabitur. Hujus *Materiæ*, invisibilis quidem attamen Phantasmata nigra imaginationi sistentis, *indolem* atqve figendi, concentrandi, convellendi morem, occasione præsente *lubet in exemplis sequentibus expendere*. Ante hâc, in viciniâ Patriæ domûs (prout qvôque inter observationes conscriptum est) puella *XII.* annorum, anteqvâ Vaccas ageret pastum, manè circa quintam ribes

ribes decerptra , subitò convellitur , concidit patiens sensum pressionis in sinistræ ( si rectè memini ) suæ manū palmā ; sub specie doloris talis , qvalis sentiretur , si ab aliquo animali ibidem puncta esset ungue acuto . Item : Initio anni 99. accidit puellæ 14. annorum , qvæ in Patriæ Urbis Viâ grandinosâ habitabat , cùm prodiisset Scholam & cum Condiscipulâ altercata esset , confessim imaginationem ejus subit , ac si niger Vir ipsam circundedisset , hinc præceps labitur , domumqve ducta per aliquot dies patitur convulsiones terrificas , qvæ non nisi longo tempore sensim remittunt .

ii. Notum est , qvod , de Suppressionis nocturnæ Symptomate sive Ephialte , vel propriâ plurium in se ipsis habitâ Experientiâ , vel plurimarum de aliis lectione , refertur ; nempe , Incubum dici , cùm qvis per somnum sibi videtur ab aliquo graviter premi , adeò ut voce suâ destituatur , juxta Phan-

Phantasiam : juxta rem ipsam verò,  
per modum suffocationis voci spiritui-  
que meatum liberum intercipientis. I-  
mò , ab ἐφάλεοθῃ derivant vocabu-  
lum prædictum, seu, ab insiliendo, qvòd  
invadi se ab alio putent, qvi id mali  
patiuntur ; videturqve illusionem hanc  
expressisse Virgilius lib. XII. Æneidos  
vers. 804. seqq. qvando canit.

*Ac, veluti in somnis oculos ubi langui-  
da pressit*

*Nocte qvies, neq; vicq; am avidos exten-  
dere cursus*

*Velle videmur, & in mediis conatibus  
agri*

*Succidimus, non lingua valet, non cor-  
pore note*

*Sufficient vires, nec vox nec verba se-  
quuntur.*

Addit notus qvidam Author : dicunt,  
causam habere id mali , ex repletione  
& cruditate pectus infestante ; sed ego  
(pergit Idem) illusiones esse atq; ve-

B xatio-

xationem diaboli non dubito. Huic assertioni conferatur opinio, qvâ Ethnici statuerunt, qvòd tales passionem efficiat qvidam *Pan* è Faunorum genere, cujusmodi Effectorem non ita malum putârunt, sed aliquem è Diis agrorum & sylvarum. Alius Scriptor de Idololatriâ tractans exponit seqventi modo: Oritur hæc affectio, quando humor viscidus, sive densi fuliginosi halitus, primò qvidem cor, mox & cerebrum replent. Et imprimis contingere solet (iis) qvi supini dormiunt. Sic enim Spina dorsi, cor proprius attingens, liberum ejus impedit motum, halitus genere crassiores circâ cor congregantur, ac deinde in cerebrum delati monstrosas gignunt imaginaciones atque terrificas: pulmones etiam premunt, atque ita vocem veluti intercipiunt, ut dormiens implorare opem minimè possit.

12. Rariùs contingit id, qvod duabus illis juvenculis, scipiùs autem ultim-

ultimum hocce Symptoma sufflamina-  
tæ respirationis & liberæ allevationis  
in corpore aliàs fano; puellabus, men-  
struo intervallo purgari nondum soli-  
tis, si Figens Hystericumve, ultrâ pro-  
portionem nutritionis accrescens, ali-  
is excretionis viis maximam partem  
eliminatur, tunc non affligit easce isti-  
usmodi Symptomatibus: si verò di-  
ctum *quietans* plurimam partem, eti-  
amque ad profundorem putredinem  
degenerans, in hypochondriorum &  
mesaræi locis accumulatum, occasione  
fermentationis (per Acida) vel *affectionis*  
*animi* (per iram) è latibulis *creatur*, in-  
que venam cavam recipiatur atque cor  
intret; imò, *cerebrum occupet*, ejusce-  
que in Ventriculis, ante glandulam  
pinealem (ceù, in diribitorio) *Spiriti-*  
*bus prævalens*, colores Denso atque Sty-  
gio magis affines præsentet, eoipso  
*Causat terrificas imaginationes*: insimul  
quòque, expansam nervorum substan-  
tiam feriens hocce Densum eosdem

B 2

con-

contrahi facit ; qvomodo nempe, aliquis nervus, propriâ suâ activitate, ad contactum diſtæ contrarii Statûs Materiæ, sui contractionem intentat, certo in loco; uti illic, nervulis intrâ palmam ramificatis, Unguem comprehendentem Sensorio communi repræsentantibus, accidit.

13. *Materiam hanc morbificam, qvam juxta Physicam generalem intelleximus sub nomine tenebrarum, qvarum Princeps Diabolus est, qvibus & ( permittente DEO) utitur in Melancholicis ad terriculamenta; Hanc, scilicet, in Theoriâ Physico-Medicâ, commodiore Termino, Materiam primi elementi diximus; eamqve statuimus alterum Naturæ Principium, ut pote qvod cum Globulis Lucis constituit mutuò activam σύγιαν, ad Oeconomiaæ animalis functiones, pro diversitate viscerum & humani corporis Locorum differentes, continuandas. Hæc, sicuti non fuerit Stygiæ & à vitâ maximè*

ximè alienæ , sed terræ - superficialis  
Proprietatis , qvæ & porrò ad Expansionem  
alterabilis fit , tunc , nullatenus  
præter naturam , multò mintis contraria  
naturam , sese habet , sed , *in servit Nutri-  
trioni* , inqve Sexu seqviore , Fœtati-  
onis appropriatus est atqve *ministrans*  
Humor , Radicali Humido alias affinis.

14. At Verò , ut ad propositum  
Symptoma revertamur , qvando *Materia*  
pr. el. est vel non - alterabilis , vel  
retro - ( à semi - Expanso ad Densum  
densiusqve) - labens in Putridum qvid,  
in corpore cacochemico , ulteriusqve  
in Malignum , tunc nunqvàm non *mor-  
bificè agit* ; & qvidem , qvô abundanti-  
or anteà adfuerat eò faciliùs , levi sàpè  
datâ occasione , ex ordine potest dejici.  
Id qvod applicabile reputetur in Exem-  
plio seqvente : Erat , nempe , puer in-  
fans à nativitate per annum vegetus ,  
succiplenus , probè accrescens , qui à  
laudabili hâcce constitutione declinabat ,  
postqvàm exacto ferme anno , ejusce

B 3                   mater,

mater , consimilis aliàs constitutionis,  
 per morbum labefactata , etiamqve ,  
 propter hyemalis aëris inæqualitatem ,  
 uberibus vix præberet alimentum pu-  
 sioni , eaqve ipsa , posteâ reconvalescens ,  
 lac fugendum exhiberet uberior ; Hinc  
 enim accidit : puellum affici oculis , i-  
 isqve fluxione humorum tumidis , clau-  
 sis & fermè ulceratis , elapsò mense ,  
 mori . Locum hîc invenit conjectura ,  
 qvòd reliquiae morbi è corpore matris  
 ad mammae adhuc lactiferas fuerint  
 translatæ , à lactente suctæ , hujus deñ  
 corpusculi caput petierint , atqve , non  
 modô oculum utrumqve itâ læserint  
 sed & cerebrum gravaverint ; id qvod ,  
 posteâ , *coma soporosum* per triduum  
 continuans , nec non unius *brachii pa-*  
*ralytico - scorbutica jectigatio* significare  
 videbantur : insuper , cùm deficiente  
 interea maternis uberibus lacte , acri-  
 monia humorum in corpore infantili ,  
 haud mitigata sed , indies aucta fuerit ,  
 evénit ut tenella natura brevi interime-  
 retur.

retur. Contigit hochyeme prægressâ.

15. Alias meminimus, *pueros* consimiliter vegetos, ubi ablactandi erant, eò periculosius transegisse; Figente nimirum Hâc, eorum temperamentum unâ constituenta Materiâ dictas vices subeunte atque redditâ morbificâ: tutiorem autem conditionem habebant alii pueri qui non itâ valde, sed mediocriter saltè, corpulenti erant. Itâ de *Viris* justò citius pinguiscentibus dicitur: non esse è causis sanitati proficuis; ac experimur, illos tales abs habitu istiusmodi athletico decidere in morbos: Hosce præcauturi qui corpulentiae mederi cupiunt, illud satagunt, labore corporis que motu ultra consuetudinem freqventius suscepitis, itemque, usu Acidorum; atque itâ, dictam pr. el. Materiam tum minuunt tum alterant efficacius, quam si, Spiritus vini frumentive usu, transpirando eandem intendant magis dissipare: hic nempe Spiritus & qvivis alias

acido contrarius conducit qvidém Motui promovendo, ast, Materiam quietantem à Stygietate suâ non tam commodè alterat, qvàm faciunt Acida; saltèm, si ab his pulmones, in qvibus dàm Individuis alioquin debiles, haud contrahant noxam. *Mulieres* qvod attinet, experimur, qvando naturaliter (ut præternaturale nunc taceamus) menstrua per ætatem iis subsistunt, qvanta obveniant incommoda; qvibus ni medeamur, qvot morbi easdem infestent.

§. 16. Tandem, è Materiâ Medicâ, expendere libet *Corallium rubrum* & metallicum *Saturnum*, non qvidem qvoad plures in hisce duobus Mixtis, labore Chymico mediante, observabiles mutationes, sed saltèm, qvoad id, qvod cum aceto stillatitio evaporata Corallia ingratissimi sint faporis, at Saturnus cum aceto stillatitio evaporatus fit accuratè dulcis. Hujus diversitatis qværitur causa, eaqve exspectatur

Etatur ductu Principiorum sive agnitarum Materiarum primarum, activitatis & passivitatis ratione subnectenda. Ad varias circa *Plumbum* mutationes attendanti in primordiis rerum versato intellectui suggeritur: hocce metallum constare ex æthere inferiore eoque conglomerato circa terram albam, qvibus quidem in matrice minerali ad huc repertilibus Materia prim. elem. adunita est, ast, ex profundo erutis, hocce metallum continentibus, æratis lapidisbus, iisqve sub dio expolitis, igne crematis & aquâ lotis, tandem per fusionem fixo terræ expansæ & ætheris tardioris amalgamate, inq; consistens metallum conformato, nil materiæ illius nigræ residuum est; qvæ verò iterum attrahitur, aut ipsa per- & præter-spirans sese insinuat hujus Mixti poris, sicubi Hoc ipsum vel indè parata Utensilia (id qvod etiam stanneæ supellectili contingit) in subterraneo aquæ, vel siccæ speluncæ, loco aliquandiū fuerint deten-

B 5

ta;

ta ; cujus qvidem Materiæ partes , vi-  
 delicet , striæ vel puncta nigra , intimam  
 stannei aut plumbei Vasis substantiam  
 adeò penetrant , ut nullâ lotione , lixivia-  
 tione , fricatione , sed solâ transfusio-  
 ne indè possint separari . Ignis effica-  
 ciâ & agitatione jugi , si qvando æthe-  
 ris continuitas dissolvatur & terra pul-  
 veretenus conspicua fiat , ea primùm  
 nigricans ulteriore ignis reverberio *ru-*  
*brum acq'virit colorem , ob sibi sociatos Lu-*  
*cis Globulos in Sulphur compactos . Hu-*  
 ic , uti & cretæ , ovorum testis , aliquæ  
 sublimioris conditionis terræ , si qvan-  
 do affundatur acetum , tunc hujuscæ  
 spicula , in centrum densum versa &  
 acuta , inflectuntur ad circumferenti-  
 am expansam , & adeò privantur a-  
 credine : Vicissim , intrâ suum fluidum  
 transumptis particulis tûm sulphure-  
 is tûm terreis expansis tûm æthereis ,  
 ceu nervoso generi consimilibus , & spi-  
 ritui gustum efficienti amicis , evenit ,  
 ut , propter hanc convenientiam , blan-  
 dus

dus atqve dulcis sensorio communi re-  
præsentetur sapor.

17. *Corallia rubra*, non in profun-  
do Terræ sicco sed à submerso utplu-  
rimū petrarum subteraque loco (vi-  
delicet, præterqvām Indiæ orientalis  
etiam Tyrreni & Siculi Marium Tra-  
ctibus) reperiuntur, & judicantur con-  
stare è terrâ expansâ, plurimis materiæ  
stygiæ partibus sociatâ, eaque, limosâ  
qvâdam conditione, *subter aquis mol-  
liora sunt* sive lignea, extra verò hasce,  
*in aëre fucciore atqve aprico Solis exi-*  
*stentia lapidescunt*: Sulphuris itidem  
non-expansi (qvale, oriundum è ma-  
teriâ primigeniæ Lucis, ab initio, ter-  
ræ vacuis locis inditum remansisse ac  
metallicum constituere putamus) pa-  
rùm, statuimus ingredi dictum Coral-  
liorum Mixtum. Verùm, anteqvām  
pergamus, discretivum, circa hasce  
partes constituentes, judicium infir-  
mare videtur vis coralliorum rubro-  
rum, qvâ hominem exhilarare perhi-  
bentur,

bentur, cùm, si materiæ stygiæ plurimūm præstò esset, eundem potius contristarent; ad qvam qvidem objectionem, sciendum: dictam prim. elem. Materiam adeò tenacitèr adhærere suæ terræ, ut ejus particulæ rigidantes, qvæ igne & aquâ nec separari, neqve vi acidi alterari potuerunt, non relinquant suam istam terram, &, vel generi nervoso, in muscularum etiam partibus & interstitiis, vel Spiritibus animalibus, in sangvine qvòqve ac humoribus aliis, accedant: sed vicissim, consimilis materiæ morbificæ ac figura particulæ, qvæ generi nervoso infiltrati erant, aut Spiritus animales densabant, iiscum collisæ, nunc, hisce relictis, huc ad Medicamentum è coralliis rubris præparatum, ceu ad sui simile, sese recipient; hinc, & genus nervosum & Spiritus animales, ab iisce gravantibus liberati, hominis animum permittant esse magis levatum adeòqve lætiorem.

18. His

18. His ita insertis , pergitus  
suprà dicti Phænomeni , etiamve sen-  
sibilis dati , necesse Ratiocinium : Ta-  
lis ad centrum defixa , densa , & à su-  
perficiali cœconomiæ humanæ proprie-  
tate remotior , materia cùm Coralliis  
insit , ea talis non abbreviat aceti spi-  
cula , nec permittit hæcce reddi magis  
obtusa , sed hæc ipsa magis in profun-  
dum acuit , inde quippe vix alterabilis ;  
interim , aceti stillatitii partibus , æthe-  
reis redalteratis , mediantibus , afficit  
intimiūs membranas linguæ gustatio-  
nis medias organicas , & , propter mi-  
norem cum iis convenientiam , acer-  
bam aut ingratum sensorio communi-  
sistit saporem.

Exempla hūc ad-  
citare non allubescit , sufficit ansam sup-  
peditasse ac , speciminis loco , hanc di-  
sparitatem , inculcatâ ratione conno-  
tasse.

19. Juxta verò conceptas rerum  
differentias , qvoad nempe uniuscujus-  
que ,

que , è qvatuor elementis , duplicum Statum , hinc , varias diversorum ad unum Mixtum tendentes ac obtinentes alterationes , in locis Macrocosmi , præsertim visceribus terræ hujusque superficie , tūm in aquam spectante , tūm præsertim aëri libero expositâ

*Hic segetes , illuc veniunt felicius Uvæ*  
 in illo Maris tractu , ubi proveniunt Corallia , non reperitur Succinum ; ubi sperma ceti colligitur , ibi non excoquuntur Sal marinis undis . Cujusmodi quidem Mixtorum species inter se , atque ab aliis , discernere , eadem præparare in proficuum corpori humano Medicamentum , debito tempore , ordine ac proportione , sive intus sive extus , applicandum , disquirere est Medici . Medicus Naturæ deficienti fert suppetias . Naturam ergo in perfectione suâ cognoscere præstat , ejusce tūm generalem tūm specialem animo prehendere contemplationem juvat ; in generali Specia-

speciale invenire , per speciale ad Generale pregredi seu ascendere , admōdum delectat.

### PARTE igitur PRIMA.

Res Macrocosmum constituentes exposui , judicium insuper tuli , aliorumque sententias contuli :

### PARTE SECUNDA.

succinctè , Rerum Naturæ habitudinem inter se , itemque , ad Corpus humanum , animadverti ; hujus , præternaturalem constitutionem , & , restituendi modum , docui :

### PARTE TERTIA.

Terminis nonnullis , κανὸ τὸ μᾶλλον περιόδους οὐδὲν πεπὺντα τῶν ἀρχῶν , expositis , Usum & Praxeos specimen adjunxi , in plurimis individuis applicata & , diversissimo eventu , observata .

20. Qvorum qvidem omnium aniam , stimulum & progressum , cùm in

## in OPERE ipso

recensentur & cui libet ejusce Parti,  
 item , uniuscujusque Partis sectioni  
 subdivisæ , competens atque contenta  
*Rerum & Verborum* materia præmittatur,  
 insertis *Summariis* , nec non , repetatur  
 (præterqvam sub finem Partis Primæ,  
 subqve initium partis tertiaræ) in *Sym-  
 ptomatuum Indice* aphoristico , præpri-  
 mis , qvatenus huic nostræ , Praxeos  
 Deducta ad Theoriæ Principia & vi-  
 cissim , applicandi Intentioni inservie-  
 bant: Ideò , illorum ipsorum Narratio-  
 nem hoc Prodromo reassumi foret su-  
 perfluum ; sed , hujusmodi , *ceu digito*  
 præcurrentis nuncii , monstrasse  
 aut *saltēm indicasse* ,  
 sat erit!

F I N I S.




p. 32.  
p. 47.



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn730473864/phys\\_0036](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730473864/phys_0036)

DFG



Patch Reference numbers on UTT

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. \_\_\_\_\_